



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

26. Julii. Mortificationi danda quidem utrique est opera, eo tamen discrimine, ut interiori præcipuè, perpetuò, atque ab omnibus; exteriori, quantùm & rerum, & personæ & temporis conditio exigit. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

illud imminutio charitatis, istud tempo-  
ris, si non etiam æris jactura creat,

26. Julii.

*Mortificationi danda quidem utrique est  
opera, eo tamen discrimine, ut interiori  
præcipue, perpetuò, atque ab omnibus; ex-  
teriori, quantum & rerum, & persona &  
temporis conditio exigit. S. Ignat. apud  
Bart. l. 3. f. 218.*

**A**ffectuum impotentia omnium est  
malorum, quæ hæcenus orbis sensit,  
fundamentum; quorum proinde, per mor-  
tificationem institutio non tantum priva-  
tum bonum est, sed publicum.

Unicus malè domiti cordis impetus in  
quæ non mala effunditur? una cupido im-  
perandi, quantis orbem bellis affecit! nec  
minus in microcosmo periculum.

Qui vult pacem, legem dicat affectibus,  
ultra quam progredi non sinantur. Nemo  
novit, quantum afferant adjumenti, cum  
in fræno sunt affectus, nisi expertus, quan-  
tæ sint pestes, si effrænes maneant.

Cor nostrum aula Dei; tot facimus tera-  
rum caulam, quot ineruditos sinu affectus  
foyemus. Belluini sunt, & his pejores;  
quia

quia jugum rationis, quo belluæ carent,  
excutiunt.

27. Julii.

*Quod in principio facile aboleri potuisset,  
diuturnitate temporis, & operis iteratione  
redditur irremediabile. S. Ignat. apud  
eund.*

**Q**Uam levi manu, in tuos nutus flexi-  
lem, duxisses arbusculam, ubi creve-  
rit, vix securibus, & multis ictibus ad de-  
missionem illa flectetur; ita grandescunt  
vitia, & à tempore robur accipiunt.

Noxia celerius agunt radices, quas ubi  
fixerint, omnem olitoris industriam lu-  
dunt; quâ cœperunt, non quâ deberent, viâ  
diffusæ melioribus umbram faciunt.

Ubi mala invaluerunt, sera est omnis  
diligentia; quæ digito supprimi scintilla  
potuisset, neglecta vires accipit, & remedi-  
omnis impatiens latè dominatur, noxia  
hæc negligentia.

Maxima negotia confecit feliciter cele-  
ritas, à mora quid boni expectes? differre  
nolentis est. Serò medicina paratur vene-  
no postquam venas omnes infecit; semper  
craftino magis propitius habendus est ho-  
diernus dies.

28. Julii.